

accidens. Secundum substantiam diuidit auctor spheram mundi in noue sphaeras. In qua diuisione non sumitur sphaera, vt complectitur omnia corpora mundum vniuersum componentia, caelos videlicet, & elementa; Sic enim plures essent sphaere, quam nouem, vt paulo post erit manifestu. Sed accipitur pro sphaera caelesti, quae quidem constat, seu continetur duabus superficiebus, conuexa nimirum exteriore, & concaua interiore, diciturq; proprie orbis; Hoc namq; differt orbis a sphaera, quod haec ad centrum vsq; tota sit solida, vnicaq; tantum superficie, puta conuexa exteriore concludatur; orbis autem non ita, sed duabus finiatur superficiebus, vna exteriore, & altera interiore, quales sunt omnes caeli.

SED QUONIAM sphaera, seu orbis caelestis duobus modis sumi potest; vno modo pro quolibet orbe diuiso ab alio, siue sit concentricus mundo, siue eccentricus, hoc est, siue idem cum mundo centrum possideat, siue diuersum, quo pacto quilibet Planeta plures orbes continere dicitur, quorum tractatio, & consideratio ad Theoricis planetarum spectat, quamuis etiam auctor noster eos breuissime capite 4. perstringere conetur: Alio modo sumitur sphaera caelestis pro orbe totali ab alijs diuiso, qui vndiquaq; a mundi centro equidistat, & tam secundum conuexum, quam secundum concauum mundo concentricus existit, coniciturq; ex pluribus orbibus particularibus, qui ordinantur ad motum planetæ; Quo pacto quibus planeta vnum proprium, & peculiarem orbem habere dicitur, continentem alios orbes partiales partim concentricos, partim eccentricos, vt in Theoricis planetarum fiet perspicuum. Hoc igitur modo accipitur in hac diuisione sphaera, pro orbe videlicet caelesti integro continente plures alios partiales ad motum planetæ ordinatos. Diuidit itaq; auctor spheram ita acceptam in 9 sphaeras, nempe in sphaeram nonam, quæ primus motus, siue primum mobile dicitur: & in sphaeram stellarum fixarum, quæ firmamentum nuncupatur: & in septem sphaeras septem planetarum, videlicet in sphaeram Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ. Hanc tamen diuisionem paulo post examinabimus, quoniam Astronomi recentiores plures sphaeras constituunt.

SUNT autem omnes orbes caelestes contigui prorsus, & immediati inter se, ita vt semper superior inferiorem includat, non secus ac in tunicis cæparum videmus superiorem vndiq; circumdare inferiorem;

D ij quod